

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. cum P. Henno. S. Anselmus libr. de processione Spiritus S. c. 3. docet, Filium, & Spiritum S. eo præcisè distinguunt inter se, quod Filius procedat nascendo per intellectum, & Spiritus S. procedendo per voluntatem: Habent utriusque, inquit, a Patre esse Filium, & Spiritus S. sed diverso modo, quia alter nascendo, alter procedendo... Et idè... etsi per aliud non essent plures Filius, & Spiritus S. per hoc solam essent diversi. S. Aug. 5. de Trinit. cap. 14. dicit, Spiritum S. non esse Filium, quia exit non quomodo natus, sed quomodo datus. Similiter Damascenus 1. de fide c. 7. 9. & seq. ergo.

In primis suppono, quod non negabunt Scotista, S. Anselmum in eodem opere, imò in eodem capite non sibi contradicere. Constat autem ex probationibus conclusionis, S. Anselmum in eo ipso c. 3. cit. nostram sententiam asserere, & ejus fundamentalem rationem tanquam principium indubitatum statueret. Verba itaque objecta non sunt intelligenda eo sensu, quo intelligunt Scotista, neque Scotus ipse videtur illis multum fidere, dum in 1. d. 11. quest. 2. dicit: Nolo multum circa intentionem ejus (Anselmi) immorari.

Duplex itaque adhibetur responsio huic objectioni ex S. Anselmo petite. Prima est S. Thom. (Quest. 10. de pot. art. 5. ad 2. o.) S. Anselmum loquentum fuisse ex sen. entia Græcorum, referendo quo pacto ipsi distinguebant realiter Spiritum S. a Filio. Undè verba prædicta S. Anselmi inducta sunt magis ut disputativa suppositio, quam veritatis definitio. Altera responsio est, S. Anselmum verè dixisse Spiritum S. distinguere a Filio, quia procedit per voluntatem. Hoc ipso enim, quod procedit per voluntatem, necessariò procedit a Filio; quia voluntas est communis Patri, & Filio; itè m & quia, ut dictum est, amor a Verbo procedit. Et ita saltè intelligendi sunt Aug. & Damascenus.

Sed instabis ex eo, quod addit S. Anselmus: Quòd si per aliud non essent plures, per hoc solam essent diversi; atqui, juxta explicationem datam, non esset aliud per quod essent plures: ergo. R. N. Min. quia loquitur Anselmus de originibus secundum conceptum originis, & viæ: præter hoc autem sunt relationes, & proprietates nationales in facto esse: censet itaque Anselmus, quòd, si per impossibile Spiritus S. non differret a Filio per relationes, & proprietates notiones in facto esse, adhuc distingueretur per originem ab illo in ratione originis, & viæ, licèt in re sit impossibile dari hoc secundum sine altero.

Obj. 2. cum eodem. Constitutum unius est distinctivum illius ab omni alio; sed filiatio est constitutiva Filii; ergo, & distinctiva a quolibet alio, & consequenter a Spiritu S. R. D. Maj. Constitutum unius est distinctivum illius ab omni alio distincto, seu distinguibili, C. ab omni alio non distincto, seu non distinguibili, N. Sic rationale, v. gr. quod est constitutum hominis, distinguit illum ab omni alio distincto, non tamen distinguit illum ab animali, quod identificatur cum homine: similiter paternitas constituit Patrem, & tamen non distinguit illum a spiratore, quia identificatur cum Patre. Undè, data Minori, in hypotesi negandum est suppositum consequentis, scilicèt dari Spiritum S. ut personam distinctam a Filio; tunc enim non foret alter, & alter, sed idem seu eadem persona Filius, & Spiritus S. sub diversa ratione genita, & spirata, ut dictum est.

Obj. 3. In hypotesi Filius adhuc procederet per intellectum, & Spiritus S. per voluntatem; atqui per hoc distinguerentur: ergo. R. D. Min. Per hoc distinguerentur virtualitèr, & ratione tantum, C. realitèr, N. sicut enim intellectus, & voluntas in Deo distinguuntur tantum virtualitèr, ita processio per intellectum, & processio per voluntatem ex hoc capite distinguuntur tantum virtualitèr. Undè, sicut in Patre generatio activa, quæ est per intellectum, & spiratio activa, quæ est per voluntatem, distinguuntur tantum virtualitèr; ita generatio, & spiratio passiva distinguuntur etiam virtualitèr tantum, nisi accedat aliqd aliud, per quod distinguantur realitèr: istud autem aliud esse non potest, quam origo unius ab alia.

Obj. 4. Si Spiritus S. procederet a solo Filio, adhuc distingueretur a Patre: ergo paritèr, si procederet a solo Patre, adhuc distingueretur a Filio. R. Dato Antecedente, quod quidam negant, N. Conseq. Disparitas est, quòd in casu Antecedentis, Spiritus S. adhuc mediatèr procederet a Patre, mediante scilicèt virtute spirativa, quam communicaret Filio, sicque inter Patrem, & Spiritum S. esset adhuc sufficiens relativa oppositio ad distinctionem. At in casu consequentis, Spiritus S. neque mediatèr neque immediatèr procederet a Filio.

Inst. Essentia divina dat Patri virtutem generativam, & tamen non idè mediatèr opponitur Filio: ergo, quamvis Pater det Filio virtutem spirativam, non idè in hypotesi oppo-

neretur mediatèr Spiritui S. R. N. Conseq. Disparitas est, quòd vis generativa sit ab essentia, non per realem processionem, & oppositionem cum Patre, sed per virtuale emanationem; undè non est mirum, quòd non opponatur immediatèr Patri, non opponatur mediatèr Filio: at Pater dat Filio virtutem spirativam per realem processionem, & oppositionem relativam cum illo; undè, cum sit immediatèr oppositus Filio, est mediatèr oppositus Spiritui S. procedenti immediatèr a Filio.

Alia argumenta omitto, quia solvuntur ut plurimum ex dictis. Qui plura voluerit, requirat in Auctore q. 10. de pot. art. 5.

ARTICULUS VI.

Varie questiones resolvuntur circa præsentem materiam.

Quæritur 1. utrum rectè dicatur, Spiritum S. procedere a Patre per Filium?

R. affirmativè: (Hic q. 36. art. 3. o.) sic enim locuti sunt Patres Græci, & inter Latinos S. Hilarius l. 12. de Trinit. Ratio est; quia Filius habet a Patre, quòd ab eo procedat Spiritus S. ergo potest dici, quòd Pater per Filium spirat Spiritum S. sive, quòd idem est, quòd Spiritus S. procedat a Patre per Filium: quo etiam sensu dicitur de operationibus ad extra Joann. 1. Omnia per ipsum facta sunt.

Non est (Ibid.) itaque sensus, quòd Filius sit causa actionis spirativæ in Patre, seu cur Pater spiraret Spiritum S. sicut cum dicitur, quòd artifex operatur per artem, ars est ratio, cur artifex operatur: sed sensus est, quòd Filius sit causa, & principium rei productæ, seu Spiritus S. sicut cum dicitur, quòd artifex operatur per martellum, non significatur, quòd martellus sit causa artificii, quòd agat, sed quòd sit causa artificii, ut ab artifice procedat, & quòd hoc ipsum martellus habeat ab artifice. Neque tamen idè existimandum est, quòd Spiritus S. procedat a Patre per Filium tanquam per instrumentum, aut ministrum adjuvantem, sed tanquam per suppositum, quòd origine medium est inter Patrem, & Spiritum S. & quòd vi originis a Patre habeat, quòd ab eo procedat Spiritus S.

Dices 1. quòd procedit ab aliquo per aliquem, non procedit ab eo immediatèr; atqui tamen Spiritus S. procedit immediatèr a Patre: ergo.

R. D. Maj. (Ibid. ad 2.) Quòd procedit ab aliquo per aliquem, non procedit ab illo immediatèr, immediatione suppositi, Trans. Maj. immediatione virtutis, N. Maj. Et ad hunc sensum distincta Min. N. Conseq. Itaque, si consideremus virtutem spirativam, Spiritus S. est a Patre, & Filio immediatèr, quia una est, & eadem virtus spirativa, imò eadem actio spirandi in utroque: Si autem consideretur suppositum spirans, Spiritus S. est diverso sensu mediatèr, & immediatèr a Patre: nam quantum ad suppositum Patris est immediatèr, quia Pater, & Filius simul spirant; quantum ad suppositum Filii est mediatèr, quatenus Filius, qui spirat, est a Patre: eo proportionali modo, quo Abel processit immediatèr immediatione suppositi ab Adam, quia Adam fuit pater ejus, & mediatèr immediatione suppositi, in quantum Eva, quæ processit ab Adam, mater ejus fuit.

Dices 2. Cum aliquis dicitur per aliquem operari, potest e converso dici: sicut enim dicimus, quòd Rex operetur per Ballivum, ita potest dici quòd Ballivus operetur per Regem; atqui nullo modo potest dici, quòd Filius spiraret Spiritum S. per Patrem: ergo. R. D. Maj. (Ibid. ad 4.) cum aliquis dicitur per aliquem operari, potest e converso dici, aliquando, C. semper, N. in his namque rebus tantum recipitur conversio, quarum una est causa magis immediata ratione virtutis, & altera magis immediata ratione suppositi: sic dicimus, quòd Rex operetur per Ballivum, quia Ballivus est causa, seu principium magis immediatum ratione suppositi; & e converso dicimus, quòd Ballivus operetur per Regem, quia Rex est causa magis immediata ratione virtutis: at verò ordo, qui est inter Patrem, & Filium in divinis, non est secundum virtutem, quippe quæ est eadem in utroque, sed secundum supposita, secundum quæ Pater non potest dici principium magis immediatum, quam Filius; quin e contra, cum Filius sit ex Patre, & non Pater ex Filio: quia etiam ratione, cum dicitur in Scriptura, quòd Pater per Verbum omnia fecit, non dicitur e converso, quòd Filius per Patrem omnia fecerit.

Quæritur 2. utrum Spiritus S. per se, & ratione proprietatis personalis peat procedere a duabus personis? R. affirmativè. (Ibid. art. 4. ad 1.)

1. Spiritus S. per se, & ratione suæ proprietatis personalis realitèr distinguitur a Patre, & Filio; atqui distinctio realis in divinis non habetur nisi per oppositionem relativam, & oppositio relativa non habetur nisi ratione originis unius personæ ab alia: ergo. 2. Spiritus S. procedit per se ut amor unitivus Patris, & Fi-

Filii, seu ut terminus amoris mutui ambozum: ergo per se potest procedere ab utroque. (Ibid.)

Dices virtus productiva Spiritus S. reperitur perfectè, & adequatè in una persona, v. g. in Patre: ergo Spiritus S. per se non exigit procedere a duabus, sed per accidens tantum, & concomitantèr patet Conseq. quia quando in uno supposito est virtus adequata ad producendam aliquem terminum, per accidens requiruntur plura supposita: sic, quia virtus creativa est adequata in una persona, per accidens tantum requiritur pluralitas personarum ad creationem. Confirmatur: si per impossibile non esset Filius, Pater posset spirare Spiritum S. quia adhuc maneret in eo principium spirationis, scilicèt voluntas fecunda: ergo. R. D. Ant. Virtus productiva Spiritus S. quoad omne absolutum, quòd importat, reperitur perfectè & adequatè in una persona; C. quantum ad notionalia, quæ connotat, N. connotat autem essentialitèr Patrem & Filium; quia, ut dictum est, Spiritus S. per se potest procedere ut persona distincta a Patre & Filio, & ut terminus mutui amoris ambozum; quòd non esset, si non procederet ab ambozum. Et hinc patet disparitas ad virtutem creativam; creaturæ enim petunt procedere ab omnipotente simpliciter, sive sit unus, sive plures. Ad confirmationem, D. Ant. si per impossibile non esset Filius, Pater posset spirare Spiritum S. qui esset ejusdem rationis adequatæ ac nunc est, N. qui non esset ejusdem rationis adequatæ, C. non enim tunc esset tertia persona, nec terminus mutui amoris.

Quæritur 3. utrum Pater & Filius sint unum principium Spiritus S. R. affirmativè. (Ibid. art. 4. o.)

Prob. 1. Ex Patribus Aug. 5. de Trinit. c. 14. Fatendum est, inquit, Patrem & Filium principium esse Spiritus S. non duo principia. Idem Basiliius l. 2. contr. Eunom. Anselmus libr. de process. Spiritus S. Prob. 2. Ex Conciliis. Conc. Lugdunense II. Damianus, inquit, qui temerario ausu asserere præsumpsit, quòd Spiritus S. ex Patre & Filio tanquam ex duobus principis, & non tanquam ex uno, procedit. Refertur cap. Fidei de summa Trinitate in 6. & Concil. Florent. in litteris uniovis: Definimus, quòd Spiritus S. ex Patre & Filio... eternalitèr tanquam ab uno principio & unica spiratione procedit. Neque juvat Durandum & Gregorium Arim. oppositum sententiam ob istam particulam tanquam: non enim hic sumitur diminutivè, sed explicativè, sicut Act. 2. tanquam adventus Spiritus vehementis: ratio est evidens; quia Græci in his Conciliis objecerant tanquam grave inconveniens Latinis, quòd ponerent duo principia Spiritus S. quòd negabant Latini: si ergo particula tanquam sumatur diminutivè, sensus erit, quòd Spiritus S. in re procedat a duobus principis, sed secundum quid tantum ac similitudinariè ab uno; & sic esset incidere in inconvenientis, quòd Græci exprobrabant Latinis, & illos dolosa æquivocatione fallere.

Prob. (Ibid. o.) 3. rationibus. 1. Pater & Filius in omnibus sunt unum, in quibus non distinguitur eos relationis oppositio; atqui in hoc, quòd est esse principium Spiritus S. non opponitur relativè: ergo. 2. Illud interest inter nomen substantivum & adjectivum, quòd nomen substantivum, cum significet formam per modum per se stantis, & idè asserat secum suum suppositum, ad ejus multiplicationem requiratur multiplicatio formæ & suppositi: undè plura supposita, habentia unam formam, v. g. deitatis, non dicuntur plures dii, sed unus Deus; & artifex habens plures artes non dicitur plures artifices; primum defectu multiplicationis formæ, secundum defectu multiplicationis suppositi. Nomen adjectivum e contra, cum non significet formam ut afferentem secum suum suppositum, sed ut alteri adiacentem, a quo habet esse, ad ejus multiplicationem non requiritur multiplicatio formæ, sed subiecti tantum, seu suppositi: undè si una albedo esset in duobus parietibus, dicerentur duo albi; atqui nomen hoc, principium Spiritus S. est nomen substantivum, & forma significata, scilicèt virtus spirativa, est una: ergo unum principium.

Ex quo (Ibid. ad 7.) colliges etiam, esse unum spiratorem, quia spirator est etiam nomen substantivum, licèt sint plures spirantes, quia spirans est nomen adjectivum. Et quamvis S. Doctor in 1. d. 11. art. 4. & d. 12. art. 3. dixerit esse plures spiratores, sicut sunt plures spirantes, sumendo spiratorem adjectivè; tamen melius est, inquit, hic dicere unum spiratorem, quia in rigore loquendo, spirator debet substantivè accipi, sicut creator, genitor, & similes; & idè ibidem explicat S. Hilarius dicentem, quòd Spiritus S. est a Patre & Filio Auctoribus, quòd posuit substantivum pro adjectivo.

Quæritur 4. pro quo supponat principium Spiritus S. seu spirator?

Quidam existimant, quòd, sicut ex essentia divina, & subsistentia absoluta, preventientibus subsistentiis relativis, constituitur unum subsistens, quòd per se existit, & est principium creaturarum, non tamen persona; ita ex essentia divina, & re-

latione activa spirationis constituitur individuum subsistens, quòd sit principium Spiritus S. commune Patri & Filio, seu spirator, non tamen persona. Sed non videtur id posse admitti; quia secundum modum nostrum concipiendi spiratio activa advenit personis Patris & Filii jam constitutis ex essentia, & suis relationibus personalibus: ergo non potest constituere aliquod individuum per se subsistens commune Patri & Filio: persona enim semel constituta, & subsistens non potest amplius per aliam subsistentiam terminari, & subsistere; quia personalitas est ultimus terminus naturæ reddens illam ulterius incommunicabilem & interminabilem. Undè spiratio activa, quamvis sit proprietas relativa, non tamen est proprietas personalis, quia non constituit personam, sed constitutum supponit. Neque dicas, spirationem activam convenire immediatèr naturæ, non mediante Paternitate & Filiatione: nam convenit immediatèr Patri & Filio, ut sunt duæ Personæ se se mutuò amantes. Itaque melius

R. cum Auctore (Ibid. ad 4. 5. & 6.) hoc nomen principium Spiritus S. seu spirator supponere confusè, & indistinctè. Non intellige tamen suppositionem confusam in rigore dialectico, quo sensu dicimus, alter oculus est necessarius ad videndum, sed intellige cum nostro Serra suppositionem confusam & indistinctam, qua hoc nomen principium seu spirator supponit pro duabus personis simul, non tamen pro illis simul tantum, sed etiam pro unaquaque seorsum, & non pro unaquaque seorsum tantum, sed etiam pro duabus simul, juxta exigentiam subiecti in propositione. Sicut, cum dico: pater & mater est principium illi, principium adequatè sumitur, & supponit pro patre & matre simul; cum autem dico: pater est principium illi, principium inadèquatè sumitur, & supponit pro patre tantum: ita proportione servata, cum dico: Pater & Filius sunt principium Spiritus S. principium adequatè sumitur, & supponit pro Patre & Filio simul; cum dico: Pater est principium Spiritus S. principium inadèquatè sumitur, & supponit pro Patre tantum. Neque obstat, quòd S. Thom. hic ad 4. non admittat hanc propositionem, Pater & Filius sunt unum principium, quòd est Pater; quia ly quod restringit rationem principii ad solum Patrem: si autem ly quod non sumatur restrictivè, sed copulativè, ita ut sensus sit, Pater & Filius sunt unum principium Spiritus S. & illud principium est Pater, vera esset propositio.

ARTICULUS VII.

Utrum hæc particula Filioque jure sit addita Symbolo Nicæno-Constantinopolitano.

Actis, & diuturna per multas sessiones Concilii Florentini hac de re fuit disputatio inter Græcos & Latinos. Græci contendeant, hanc additionem fieri non potuisse, id vetante lege Concilii Ephesini & aliorum, tanque Schismatis inter utramque Ecclesiam fuisse causam; Latinis e contra propugnans, hanc additionem jure potuisse fieri, nusquam violata lege Concliorum, ipsosque Græcos immeritò inde sumpsisse occasionem discedendi ab Ecclesia Latina. Non tamen negabant Græci, posse inseri Symbolum; sed negabant, explicationem posse inseri Symbolo. Contra quos

Dico: Hæc particula Filioque jure fuit addita Symbolo Nicæno-Constantinopolitano.

Prob. 1. In Conc. Lugdunensi II. Græci ipsi approbaverunt hanc additionem, Symbolumque, ter hanc additionem repetendo, cantaverunt cum Latinis inter Missarum solemniam. Et Conc. Florentinum post causam diligentissimè discussam in definitione fidei, cui subscripserunt cum Latinis omnes Græci, excepto Marco Ephesino, sic dicit: Definimus inasper explicationem verborum illorum Filioque, veritatis dicende gratias, & imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam: ergo.

Prob. 2. Ut jure fiat Symbolo aliqua additio, veritatis in eo latenter & implicite contentæ explicativa, duo requiruntur, & sufficiunt, legitima auctoritas, & causa necessaria; atque hæc duo concurrerunt in additione hujus particule Filioque facta Symbolo: ergo. Major constat; quid enim aliud requiretur? Minor etiam est certa quoad utramque partem. Et 1. intervenit legitima auctoritas, nempe summa auctoritas tam Ecclesiæ, tum summi Pontificis, cui, in conservanda fidei deposito contra insurgentes hereses, a nullo, neque etiam a Concilio Generali, potest derogari, utpotè a Christo instituta, & collata. 2. Adfuit causa necessaria, nempe repressio erroris tunc latius grassantis contra processionem Spiritus sancti a Filio: ergo.

Confirmatur: Jure Ecclesia in Concilio Nicæno addidit de Filio contra Arianos Symbolo Apostolorum hanc particulam consubstantialem: & in Constantinopolitano addidit Symbolo



Niceno contra Macedonianos de Spiritu S. has particulas: Dominum vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio simul adorandam, & alias; atqui auctoritas Ecclesie ab his temporibus non fuit imminuta, sed eadem semper manet, & quae fuit ratio seu necessitas has particulas prioribus Symbolis addendi, eadem fuit particulas Filioque inserendi, nemp̄ coërcitio insurgentis & grassantis erroris: ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Synodus Ephesina III. Oecumenica, contra Nestorium congregata ann. 431. parte 3. act. 6. sic definit: Statuit S. Synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam a SS. Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu S. congregati fuerunt. Qui verb̄ ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre... Hos quidem, si sunt Episcopi, aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopate, & Clericos a Clericatu, decrevit; si verb̄ Laici fuerint, anathemati subijci. Idem eisdem verb̄is repetit Synodus Chalcedonensis IV. Oecumenica, contra Eutychem convocata ann. 450. actu quinto.

Huic argumento, quod præcipuum est Græcorum, duo respondeo, quæ vim ejus prorsus evacuant. (Q. 10. de pot. art. 4. ad 13.) Primum, a Synodo Ephesina, & post ipsam a Chalcedonensi prohibuitur esse proferre alteram fidem a Nicæno-Constantinopolitana, id est, ipsi contrariam, at non eisdem fidei explicationem contra novas insurgentes hæreses: additio autem hujus particule Filioque non est contraria fidei Nicæno-Constantinopolitane, sed est illius explicatio. Hôc ipso enim, quod in Symbolo Nicæno Constantinopolitano exprimitur, quod Spiritus S. a Patre procedit, implicite continetur, quod procedit a Filio; quia, quod de Patre intelligitur, oportet, & de Filio intelligi, cum in nullo differant, nisi quia hic est Filius, & ille Pater. Secundum, dato a laudatis Synodis etiam probatam fuisse antiquæ fidei explicationem, hæc prohibitio spectat dumtaxat privatos, non ipsam Ecclesiam, aut summum Pontificem.

Primum patet multiplici ratione. 1. Ex occasione, qua hæc fuit istud decretum ab Ephesina Synodo. Cum enim Charisius Presbyter recitasset in Synodo aliquid Symbolum Nestorianum avitæ fidei contrarium, ipsum damnat Synodus, & prohibet alteram fidem a Nicæna proferre, id est, ut patet, fidei Nicæne contrariam, qualis erat ista altera fides Nestoriana. 2. S. Cyrillus, Concilii Ephesini Præses, inita pace cum Jo. Antiocheno, illius fidei professionem cum laude suscepit & probavit, quamvis in ea essent multa addita Symbolo Nicæno Constantinopolitano; quod sanè non fecisset Cyrillus, si omnem prisinæ fidei novam explicationem prohibuisset ipsa Synodus. 3. Cone. Chalcedonense post Ephesinum celebratum act. 5. recitatis Symbolis Nicæno, & Constantinopolitano, subiungit: Sufficere quidem ad plenum cognitionem, & confirmationem pietatis hoc sapiens, & salutare divinæ gratiæ Symbolum... Sed quoniam hi, qui veritatis reprobare prædicationem conantur per proprias hæreses, novas voces genuerunt, ad eos revincendos, ultra Symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum, quod confirmat, declarat se acceptare Ep. Synodicas S. Cyrilli ad Nestorium, & ad Orientales contra hæresim Nestorii, & Ep. dogmaticam S. Leonis ad Flavianum contra Eutychem; deinde exponit dogma duplicis nature in Christo contra eundem; ac tandem subiicit: Definitio sancta, & universalis Synodus, alteram fidem nulli licere proferre, aut conscribere, vel componere, aut sentire, aut alios docere. Quis non videt, hoc decreto, sicut & Ephesino, dumtaxat prohiberi proferre alteram fidem veræ, & antiquæ fidei contrariam, non hujus veræ fidei expositionem, si quidem ea ipsa Synodus, & Symboli Nicæni explicationem per Constantinopolitanum, & Constantinopolitani per litteras Cyrilli, & suæ ipsius definitionis per Epistolam Leonis admittit, imò propriam suam explicationem circa errorem Eutychem proferat. 4. Sed & aliud luculentius momentum ex eadem ipsa Synodo Chalcedonensi eruo. Cum quidam Patres synodici non admittendam esse S. Leonis Epistolam censerent propter Canonem Synodi Ephesinæ votantis inducere aliquid novi, ipsa Synodus in allocutione ad Imperatorem, que extat initio tertie partis, sic dicit: Ne quis... Epistole ejus seriem accuset, quod, non liceat cuiquam exponere fidem præter Patres, qui apud Nicæam concorditer convenerunt (In ipsa objectio ex decreto Ephesino) unam quidem esse veluti principali loco 3. 8. Patrum doctrinæ confessionem, lex nobis Ecclesie præcipit, quam veluti commune Sanctorum decretum ad eorum, qui vocantur in adoptionem filiorum, tradidimus firmitatem. Adversus autem eos, qui veritati resistunt, & ris nobis certaminum cause tributa sint, a piis viris congruenter adhibita contra ea, que ab his fallaciter inferuntur. Et credimus quidem sufficere ad utilitatem fidei indidissima

perfectio, ad confessionem pii dogmatis devotè pertractamus. His autem, qui doctrinam rectam pervertet moluntur, ad singula, que male parviunt, oportet occurrere, & eorum objectis congrua quoque providere. Nam, si omnes contenti essem fidei constituto, & pietatis sentiam nulla innovatione turbarent, deceret Ecclesie filios nihil amplius excogitare, quam Symbolo constat esse declaratum. Sed quia multi a recta linea per anfractus erroris exorbitant, novum quoddam sibi metier mendacii construentes; necesse nobis est veritatis eos inventione convertere: commenta quoque eorum devia salutaribus ADJECTIONIBUS refutare, non ut novum ad pietatem (quasi fidei desit) semper aliquid exquirentes, sed ut contra ea, que ab illis innovata sunt, excogitantes, que salubria judicantur. Quod idem prosequitur tota allocutione. Hæc sanè commentario non indigent; sunt quippe ipsissima solutio nostra, quam inde erimus, unde depromptum est argumentum.

Neque dicas, has explicationes, quas ex Synodis Ephesina, & Chalcedonensi proferimus, non esse insertas Symbolo, Græcos autem contendere solam insertionem novæ explicationis Symbolo esse prohibitam decretis Ephesino, & Chalcedonensi. Nam decretum, tam Ephesinum, quam Chalcedonense, ne verbum quidem habet de nova explicatione non inserenda, aut non addenda Symbolo; sed loquitur tantum de altera fide non proferenda, non conscribenda, non componenda, aut offerenda. Neque Patres Chalcedonenses, ut probent se non agere contra decretum Ephesinum in recipienda explicatione S. Leonis, hæc rationem adhibent: nec dicunt illo decreto tantum prohiberi insertionem novæ explicationis Symbolo, quod erat in promptu; sed dicunt, se primo loco habere Symbolum Nicænum, & id præcipere legem Ecclesie; at non prohiberi, sed necesse esse, novis hæresibus insurgentibus novis explicationibus adjectis occurrere. Aliunde quid utilitatis haberet decretum prohibens sanam veræ fidei explicationem inseri Symbolo, si permitteret passim edi extra Symbolum, quas voluerit fidei professiones aut explicationes?

Sed nec satis: alterum dixi: dato Synodum prohibuisse addere Symbolo legitimam explicationem fidei Nicæne, hæc prohibitio spectat dumtaxat privatos, non Ecclesiam, aut SS. Pontificem. Et hoc luce meridiana clarius est: 1. ex occasione, qua, ut vidimus supra, hoc decretum datum est. 2. Ex censuris, quibus Synodi Ephesina, & Chalcedonensis contrafractantes subiiciunt: stultum namque foret existimare, sacras Synodos voluisse Ecclesiam ipsam aut SS. Pontificem anathemati subjicere. 3. Quia Ecclesia in laudatis Conciliis nec voluit, nec potuit seipsam, aut SS. Pontificem spoliarè auctoritatè, qua tunc pollebat, & quam a Christo collatam accepit. Cum ergo nunc permaneat eadem Ecclesie, & SS. Pontificis auctoritas, que fuit olim, & cum ea ea poterit Ecclesia addere Symbolo Apostolorum, & postea Symbolo Nicæno, idem nunc potest, si necessitas requiratur. His omnibus semel positis, non satis miror, qua mentis vertigine capti Græci tandem tam impotentis animo debacchati fuerint in Ecclesiam Romanam, ab eaque tam horrendo, & tam pertinaci schismate defecerint propter hæc unam particulam Filioque, explicationis ergo Symbolo Nicæno additam.

Instant nihilominus: Synodus Ephesina noluit addere Symbolo nomen Deipara, licet videretur necessarium contra hæresim Nestorii. Item S. Cyrillus in Ep. ad Jo. Antiochenum dicit: Nullo modo patitur, ut ab aliquo fides illa, sive fidei Symbolum concutiat, quod a sanctis quondam Patribus Nicænis editum est: neque enim aut nobis, aut ulli omnino alteri, vel unam voculam ibi positam immutare, aut unam etiam syllabam præterire permittimus. Et ia Ep. ad Acadium dicit, quod Synodus providit non oportere aliam fidei expositionem in Ecclesiam inferre, præter eam, que jam extabat: ergo. R. ad 1. Synodum Ephesinam noluisse addere Symbolo nomen Deiparæ; quia id non erat necessarium ad revincendum errorem Nestorii, quippe qui error duobus distinctis Symboli Constantinopolitani articulis satis explicite explodebatur, nemp̄ Christum esse verum Deum consubstantialium Patri, & natum ex Maria Virgine: concedimus autem non debere addi aliquid Symbolo, nisi cogente necessitate.

Ad 2. que sit mens Cyrilli circa sensum decreti Ephesini, patet ex fidei professione Jo. Antiocheni, quam suscepit, & laudavit, ut dixi. Verè autem dixit S. Cyrillus, nemini licere Symbolum concutere: verum qui catholicè illud explicat, non concutit; item nullam voculam immutandam, nullam syllabam prætereundam, que sensum perverteret, non que legitime explicaret: tandem non oportere aliam fidei expositionem inferre contrariam veræ, & jam receptæ fidei; non, que sit ipsi consentanea, si ita necessitas requiratur.

Reponunt: In Synodo Chalcedonensi act. 2. cum Judices peterent edi expositionem fidei, Symbolo Nicæno-Constantinopolitano consentaneam, Reverendissimi Episcopi clamaverunt:

rdit: expositionem alteram nullam facit, neque tentamus, neque audemus exponere: docuerunt enim Patres, & in scriptis custodiuntur, que ab eis sunt exposita, & circa ea dicere non possumus: ergo expositionem, etiam veræ fidei explicativam, addere non licet, nec ipsi generali Concilio. R. huic textum truncatè referri; qui, si integrè referatur, non solum instantiam elevat, sed nobis favet, subjungitur enim immediate: Cecropsius Reverendissimus Episcopus Sebastopolitanus dixit: emergerunt, que ad Eutychem pertinebant, & super his forma data est a sanctissimo Archiepiscopo Romæ urbis; & sequimur eum, & Epistole omnes subscribimus. Reverendissimi Episcopi clamaverunt: ita omnes dicimus, sufficiens que exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri. Hinc palam est, quo sensu Patres Synodici dixerint non posse, non licere alteram fidei expositionem edere, quia non erat necessaria; sufficienti quippe, ut ipsi inquirunt, prolata expositio facta a S. Leone, quam omnes acceptabant; & aliunde Eutychem error sufficienter revincabatur Symbolo Nicæno-Constantinopolitano, in quo Christus hinc Deus, illinc factus homo distinctè dicitur. Verùm, si judicasset necessarium, eo jure poterant edere, quo poterat summus Pontifex S. Leo; imò eo jure, quo ipsi illam S. Leonis expositionem approbant, & admittunt: si namque esset illicitum absolute expositionem Catholicam fidei edere, illicitum quoque esset editam approbare, & recipere, atque Editorem summis laudibus efferre.

Urgent: Synodus VII. Oecumenica post recitatum Symbolum Nicænum, & Constantinop. act. 7. dicit: Hæc est fides Apostolorum: nos leges Patrum custodimus: nos eos, qui addunt quid, vel adimunt de Ecclesia, anathematizamus: ergo. R. eandem semper curere solutionem, nimirum Synodum loqui de additione vel ademptione contraria fidei; non ipsi consentanea, & necessaria; idque eo certius est, quod ipsamet Synodus VII. Symbolis Nicæno, & Constantinop. varias fidei expositiones subnectat, præsertim contra Iconomachos. Unde hæc instantia magis nocet Græcis, quam ipsis favet. Insuper revocando, quod secundo loco diximus in prima responsione, dato hæc, & similia Conciliorum dicta extenderentur ad expositiones fidei consentaneas, non spectant Ecclesiam, sed privatos.

Obj. 2. Cum Legati Caroli Magni, & Concilii Aquisgranensis consulenter Leonem III. super hæc additione Filioque, jam tunc facta Symbolo a quibusdam Ecclesiis, & ab eis decantari solita in Missa, eam improbarit SS. Pontifex, jussitque Symbolum Constantinopolitanum absque ea additione descriptum in tabulis argenteis appendi ad valvas Ecclesie: ergo. R. D. Ant. Hæc additionem improbatit Pontifex, ut factam absque sufficienti necessitate, & auctoritate, C. improbatit, quasi fieri non posset urgente necessitate, & concurrente legitima Ecclesie, seu SS. Pontificis auctoritate, quemadmodum postea facta est, N. Quod autem jussit Symbolum absque ea additione describi, & ad valvas Ecclesie appendi, id fecit studio antiquitatis, quam absque causa immutari non patiebatur; & ut ostenderet, neminem hæc additione, sine sufficiente necessitate, & auctoritate facta, adstringi.

Obj. 3. saltem hæc additio fieri non potuit, inconsultis Græcis: ergo. Respondit huic objectioni Andreas Rhodius Antistes Sess. 7. Concilii Florent. 1. non constare, Græcos non fuisse vocatos. 2. Ecclesiam Romanam nulla lege fuisse adstrictam, ut eos vocaret ad hæc additionem faciendam, urgente necessitate coercendi petulantiam multorum, qui dogma erroneum adversus Spiritus S. processionem a Filio, apertius, & latius, quam antea, disseminabant. Adde, hæc additionem factam fuisse ab Ecclesia Occidentali, scientibus, & non reluctantibus Græcis, excepto forte uno Photio, qui tum a suis non fuit auditus, quippe qui, a sede Constantinopolitana injustè invasæ justè ejectus, per plures annos exulavit. Cum autem postea schismate facto reclamarent Græci, non erant amplius audiendi, sed corrigendi, & a schismate revocandi. Porro, quando facta fuerit hæc additio, diceamus in Digressione speciali.

ARTICULUS VIII.

De variis Nominibus Spiritus Sancti.

Quæritur 1. Utrum hoc nomen Spiritus sanctus sit proprium tertie personæ?

R. quod, (Hic q. 36. art. 1. o.) si hoc nomen Spiritus sanctus sumatur complexè, & in vi durum dictionum sit commune singulis Personis Trinitatis: Pater enim est Spiritus, & sanctus, similiter Filius est Spiritus, & sanctus. At si sumatur incomplexe, & in vi unius dictionis, ex usu Scripturæ, & Ecclesie consuetudine accommodatur ad significandum tertiam personam. Et hujus accommodationis est duplex convenientia. Prima est, quia nomen Spiritus S. est commune Patri, & Filio,

ut dictum est, propterea conveniens est, ut qui procedit ab utroque, & est utriusque nexus, appelletur propriè nomine, quod habent ambo communiter. Secunda; quia nomen Spiritus in rebus corporeis impulsionem quamdam, & motionem significare videtur, nam flatum, & ventum spiritum nominamus; est autem proprium amoris, quod moveat, & impellat voluntatem amantis in amatum: sanctitas autem is rebus attribuitur, quæ in Deum ordinatur; quia igitur tertia persona procedit per modum amoris, quo Deus amatur, convenienter Spiritus S. nominatur.

Quæritur 2. Utrum Amor sit proprium nomen Spiritus S. (Hic q. 37. art. 1. o.) R. Si amor sumatur essentialiter, prout importat tantum habitudinem amantis ad rem amatam, est nomen commune toti Trinitati. Si autem sumatur personaliter, prout importat habitudinem rei, que procedit per modum amoris ad suum principium, est nomen proprium Spiritui S. quia Spiritus S. procedit ex mutuo amore Patris, & Filii ut quædam impressio, seu impulsus in rem amatam.

Quæritur 3. Ex quarum rerum amore procedat Spiritus S. R. Spiritus S. per se procedit ex amore omnium, que sunt formaliter in Deo, scilicet ex amore essentiae, attributorum, & personarum; per accidens, & concomitantè ex amore creaturarum futurarum; nullo modo ex amore creaturarum possibilium. Hæc patent parè ex his, que diximus supra de cognitione, ex qua procedit Verbum; parim ex dictis in Tract. præced. de voluntate, & amore Dei circa res creatas. Igitur breviter

Prob. 1. pars: quia Spiritus S. procedit ex amore perfectissimo, amor autem perfectissimus est omnium, que sunt formaliter in Deo: ergo. Prob. 2. pars: quia processio Spiritus S. est naturalis, & necessaria: ergo debet per se procedere ex amore naturali, & necessario; atqui amor creaturarum futurarum non est naturalis, & necessarius, sed liber, & supponit decretum de illarum futuratione, quod decretum potuit non esse: ergo. Attamen, quia creaturæ futuræ dicunt ordinem ad existentiam, amantur a Deo, & sic per accidens, & concomitantè ex illarum amore procedit Spiritus S. Tertia pars patet; quia, ut diximus Tract. præced. cit. Deus nullatenus amat creaturas possibles.

Quæritur 4. Utrum Pater, & Filius diligant se Spiritu S. (Ibid. art. 1. o.) R. Si diligere accipiatur essentialiter, Pater, & Filius non diligunt se Spiritu S. sed sua essentia, quia Spiritus S. non est amor essentialis, sed notionalis. Si verb̄ diligere sumatur notionaliter, Pater, & Filius diligunt se Spiritu S. quia diligere notionaliter nihil est aliud, quam spirare amorem, sicut dicere est producere Verbum, & florere est producere flores: sicut ergo dicitur arbor florere floribus, & Pater dicere Verbo se, & creaturas; ita Pater, & Filius dicuntur se, & nos diligere Spiritu S. seu amore procedente.

Quæritur 5. Utrum Donum sit proprium nomen Spiritus S. Antè responsum nota, donum posse sumi essentialiter, notionaliter, & personaliter. Essentialiter, quatenus solum consideratur ut res, que gratuito dari potest, & sic convenit toti Trinitati, & singulis personis, quippe que se nobis gratuito communicare, & dare possunt. Notionaliter, prout dicit originem passivam a donante, convenitque tantum aliquibus personis, & non omnibus; & sic est proprium Filio, & Spiritui S. non Patri; quia Filius, & Spiritus S. habent originem a Patre, Pater a nullo. Personaliter, prout convenit tantum uni personæ: Et sic (Hic quæst. 38. art. 2. o.) R. Donum personaliter sumptum est nomen proprium Spiritus S. quia donum propriè importat gratuitam donationem. Ratio autem gratuitæ donationis est amor; idè enim damus gratis alicui, quia volumus ei bonum: primum ergo, quod damus ei, est amor, quo volumus ei bonum, & sic amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur: ergo, cum Spiritus S. procedat ut amor, procedit in ratione primi doni, consequenter donum est nomen ei proprium.

Inter (4. contr. gent. c. 22.) varia alia nomina, que Spiritui S. appropriantur, singulare est nomen Paraclæti, seu Consolatoris. Hujus autem appropriationis ratio est; quia proprium amicitie est, quod aliquis in presentia amici delectetur, ac in eo consolationem contra omnes anxietates inveniat: unde in tristitia maxime ad amicos consolationis causa confugimus. Quia igitur Spiritus S. Dei amicos non constituit, & cum in nobis habitare facit, & nos in ipso (appropriatur enim illi sanctificatio animarum) consequens est, ut per Spiritum S. gaudium de Deo, & consolationem habeamus contra omnes mundi infirmitates, & impugnationes: unde in Ps. 50. dicitur: Redde mihi letitiam salutaris tuæ, & Spiritu principali confirma me. Quidam addunt, etiam dici Paraclætum, quia, post ascensionem Christi, in Apostolos mæstos, tristisque Ecclesiam tamquam consolator delapsus sit.



DIGRESSIO HISTORICA.

Quandam hæc particula Filioque addita fuit Symbolo. Ad art. 7. præcedentis Dissert.

IN Hispaniis primùm legitur hæc additio facta Symbolo in Conc. Toletano III. ann. 589. Ab Hispanis ad Gallos comenavit labente sæculo 8. legitur namquẽ in Conc. Forojulien- si (de Frejus) ann. 791. & Francofordiensi ann. 794. constat etiam ex legatione missa a Concilio Aquisgranensi, & Carolo Magno ann. 810. ad Leonem III. ut hæc additionem, & morem cantandi Symboli cum hac additione probaret; quod utrum- que abnuvit Pontifex, ut dictum est supra. Hinc enim saltẽm pater, hæc additionem, & hunc morem ab aliquot annis jam viguisse in Gallia. In his conveniunt Historici. Sed quando hæc additio recepta fuit Romæ, & in tota Ecclesia Occiden- tali? Res est valde incerta. Ex facto Leonis III. improbatu hæc additionem (constat autẽm hoc factum ex Smaragdo, qui hujus collationis acta tunc temporis conscripsit, & quæ doctis- simus Sirmundus Tom. 2. Conciliorum Gallie inseruit: ex Ana- statio Bibliothecario in Leone III. ex Magistro sentent. l. 1. d. 11. & ex aliis) Ex hoc inquam facto

Colligo 1. hæc additionem non fuisse factam a Damaso Papa, & Conc. Romano, ut quidam scribunt, id quippẽ non ignorasset Leo III. & cognitum non improbasset. Symbolum autẽm, quod sub nomine Damasi inter opera S. Hieronymi legi- tur cum hac additione, pro suppositio habetur ab Eruditis. Colligo 2. S. Leonem magnum hæc additionem non permisisse Hispaniis, ut videtur sentire Sylvius cum Baronio ex S. Leonis Ep. 93. id enim prochl. dubio Galli, qui ab Hispanis hæc addi- tionem mutuaverant, allegasset Leoni III. quod ille non respuisset. Insuper in laudata Ep. S. Leonis, quæ est ad Turri- bium, habetur dumtaxat, Spiritum ab utroque procedere, sed nulla legitur data licentia hæc particulam Filioque Symbolo addendi. Colligo 3. neque hæc additionem factam fuisse in 2. Concilio Nicæno, in causa Imaginum ann. 787 seu paulo antè, ut contendebant quidam ex Latinis in Concilio Florent. ex vetustissimo codice, in quo legitur eo in Concilio Symbolum recitatum fuisse cum illo additamento. Nam 1. id non lausisset Leonem III. qui auctoritatem Concilii non despexisset. 2. Quia Græci non ausi fuissent hæc additionem tam perti- naciter impugnare, nec Latinos tamquam illius Auctores tot injuriis lacessere. 3. Quia Anastasius Bibliothecarius, qui post annos solùm 70. hujus Synodi acta latinitate donavit, nullam hujus additionis mentionem facit. Et quibus nutat fides hujus vetustissimi codicis, de qua aliunde non constat.

At quando tandem Ecclesia Romana hæc additionem re- ceperit? Disputat Catholicus pro Latinis in Concilio Florent. Sess. 7. dicebat, Romanum Pontificem eam admisisse in magno Concilio Occidentalium: id dixerat antè ipsum S. Thom. hic

q. 36. art. 2. ad 2. sed, cum non dicant, quo tempore, & sub quo Pontifice fuerit celebratum istud Concilium, questio manet insoluta.

Dico: Probabile est, hæc additionem factam fuisse a Ni- colao I. aut circa ejus tempora. Sedebat autẽm ann. 848. Prob. 1. ex Photio, qui in Ep. ad Orientales sedes primarias contra Nicolaum I. scripta: Præter illa, inquit, quæ commemoravimus absurda, sacrum etiam, & sanctum Symbolum... non sine incre- dibili audacia falsare aggressi sunt. 2. Ex Retramno Corbe- jensi Monacho, qui in l. 2. c. 2. pro Romana Ecclesia contra Græcos, quem Photius temporibus scripsit, agnoscit Photium vertisse crimini Nicolao I. & Romane Ecclesie, quod particu- lam Filioque Symbolo addiderit, sed criminationem diluit, & factum defendit: postquam enim ostendit, Synodos Nicænam, & Constantinopolitanam aliquo addidisse Symbolo Apostolo- rum, de particula sic Filioque sic pergit: sed neque Episcopo- rum 150. tanta constat auctoritas, ut quid illis liceat, non liceat tam Romano Pontifici, quam universis Christi Ecclesiis. 3. Ex S. Antonino, qui in Chronico 3. p. tit. 22. c. 3. n. 1. narrat, Photium exprobrasse Nicolao I. quod ob hæc addi- tionem anathema latum a Concilio Ephesino incurrisset. Idem testatur Manuel Calceas, & Pithæus libr. de process. Spiritus S. Ad hæc momenta indubie non attenderat Andreas Colos- sensis, cum in Conc. Florentino sess. 6. dixit, Photium nullam de Symboli additione fecisse mentionem contra Nicolaum Pa- pam.

Dices: In codice, qui servatur Romæ in Collegio Græco- rum, Epistolam, de qua in 1. Probatur non adscribi Photio, sed Sisinnio Patriarchæ Constantinopolitano, qui sedebat ann. 995. & Nicolaum I. in sua Ep. ad Gallos hæc de Symbolo crimina- tionem a Græcis sibi factam non referre. R. ad 1. unum co- dicem non evertere aliorum fidem, nec alia momenta allata. Ad 2. pariter solum Nicolai silentium tot disertis testimoniis non præponderare: est enim argumentum negativum, quod ni- hil valet contra plura positiva.

Nota: Quamvis probabile sit, a Nicolao I. sive circa ejus tempora hoc additamentum fuisse factum, nondum tamen tunc Symbolum cum illo additamento cantabatur universim in Eccle- sia Romana: id primum obtinuit sedente Benedicto VIII. circa ann. 983. a quo id obtinuit Henricus Imperator, ut observat Baronius ad hunc annum ex Bernone Augiensi.

At tandem, quod extrã omnem controversiam est, in Conc. gener. Lugdunensi II. ann. 1274. Symbolum cum præfata additione Filioque solemniter fuit decantatum a Græcis, & La- tinis, ter repetitis his verbis, Qui ex Patre Filioque procedit; quamvis tamen tunc indultum fuerit Græcis, ut in suis Eccle- siis sine hac additione cantarent. Et postea in Conc. Florenti- no 1439. utriusque Ecclesie Græcæ, & Latine consensu, admi- so dogmate de processione Spiritus S. a Filio, additio hujus particule Filioque, facta Symbolo, fuit approbata, ut vidimus superius.

DISSERTATIO VI.

DE COMPARATIONE PERSONARUM AD ESSENTIAM, AD PROPRIETATES Personales, ad Actus Notionales, ad se invicem, & ad Creaturas.

Div. Thom. a Quæst. 29. 39. ad. 43.

POSTquam egimus de Personis, secundum se consideratis, restat ad complementum præsentis Tractatus agendum de illis comparativè consideratis. Quintuplex autẽm ex titulo distin- gui potest comparatio divinarum Personarum. Prima est ad essen- tiam, cum qua identificantur. Secunda ad proprietates per- sonales, seu relationes, quibus in esse Personæ constituuntur. Tertia in ordine ad actus notionales, qui a Personis emanant, & per quos emanant Personæ. Quarta ad se invicem. Quinta ad creaturas, quatenus ad eas mittuntur: quas quinque Perso- narum comparationes totidem questionibus, tractat Auctor. Nos verò, quia plura discussimus huc spectantia jam in præcedenti- bus, compendio tractabimus.

ARTICULUS I.

De Personarum comparatione ad essentiam. D. Thom. Quæst. 39.

QUÆ docet S. Thom. duobus primis art. hujus questionis 39. de identitate Personarum cum essentia, exposuimus art. 3. Dissert. 3. require ibi. Quæ docet quatuor articulis se-

quentibus de modo loquendi pluralitèr, vel singularitèr de divi- nis Personis, habes etiam sufficienter art. 5. Dissert. 4. Ut ta- men unum adjiciam, aut jam dictum magis explicem.

Queritur 1. Utrum nomina essentialia, id est, quæ essen- tiam, seu essentiam spectantia nudè significant absquẽ insi- nuatione Personarum, prædicantur singularitèr de tribus Per- sonis. (Hic q. 39. art. 3. o.) R. Si nomina essentialia signifi- cent essentiam substantivè, prædicantur de tribus Personis singularitèr, & non pluralitèr: si verò significant essentiam adjectivè, prædicantur de tribus Personis in plurali. Cujus ra- tio est: quia nomina substantiva significant aliquid per mo- dum substantiæ: substantia autẽm, sicut per se habet esse, ita per se habet unitatem, vel pluralitatem. Undè unitas vel pluralitas nominis substantivi attenditur, non solum secundum suppositum, sed etiam secundum formam significatam per no- men. Nomina verò adjectiva significant aliquid per modum acci- dentis, quod inheret subjecto. Undè accidentia, sicut habent esse in & ex subjecto ita ex subjecto suscipiunt unitatem, vel pluralitatem, & idè in adjectivis attenditur singularitas vel pluralitas secundum supposita, seu subjecta. Quapropter ad multiplicationem nominis substantivi requiritur multiplicatio for-

forma & suppositi; ad multiplicationem autẽm nominis adjectivi sufficit multiplicatio solius suppositi, seu subjecti. Et idè in humanis Socratem, Platonem, Ciceronem dicimus tres homi- nes, & in divinis Patrem, Filium, & Spiritum S. non dicimus tres deos, sed unum Deum; quia in tribus suppositis naturæ humane sunt tres humanitates, in tribus autẽm Personis divinis est una divina essentia. E contra verò dicimus tres existen- tes, tres sapientes, tres aternos, tres increatos, si adjectivè sumantur, ut sumpsit Athanasius in Symbolo dicens: Totæ tres Personæ coeternæ sibi sunt, & coæquales. Si verò substan- tivè sumantur, dicimus unum increatum, unum immensum, unum æternum, &c. ut sumpsit idem Athanasius dicens: Non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, & unus immensus.

Dices: Deus significatur ut habens Deitatem, sicut homo significatur ut habens humanitatem; atqui tres Personæ sunt habentes Deitatem: ergo tres Dii. R. N. Conseq. Quia, licet Deus significet habentem Deitatem, est tamèn aliud modus signifi- candi; nam Deus dicitur substantivè, & habens Deitatem dicitur adjectivè. Undè, licet sint tres habentes Deitatem, non tamèn sequitur, quod sint tres Dii; quia divinitas, quæ est forma significata non multiplicatur. (Ibid. ad 1.)

Queritur 2. Utrum nomina essentialia convenienter appro- prientur personis? (Ibid. a. 7. o.) Appropriatio, ut jam dixi Dissert. proem. art. 3. obj. 4. est attributio alicujus proprietatis essentialis, tribus Personis communis, facta tamèn uni Per- sonæ ad ejus manifestationem. Undè aliud est proprium, aliud appropriatum. Illud dicitur proprium, quod ita tribuitur uni Personæ, ut non possit tribui alteri. Appropriatum verò id, quod est commune toti Trinitati, sed causa majoris manifesta- tionis tribuitur uni Personæ. Hoc notato ad questionem R. Affirmativè. Prob. Quamvis Trinitas Personarum demonstrati- vè probari non possit, ut dixi in Dissert. proem. art. 4. conveni- tit tamèn, ut per aliqua magis manifesta declaratur; atqui essen- tialia attributa sunt nobis magis manifesta per rationem, quam personarum proprietates; quia ex creaturis, ex quibus cognitionem accipiunt, possumus devenire in certam cogni- tionem attributorum essentialium, non autèm in certam cogni- tionem proprietatum personalium. (Ibid.)

Dupliciter potest fieri appropriatio, vel manifestatio. Uno modo per viam similitudinis, sicut ea, quæ pertinent ad intellectum, appropriantur Filio, qui procedit per intellectum: alio modo per viam dissimilitudinis, sicut potentia appropriatur Patri, ut dicit Aug. quia apud nos Patres solent esse infirmi propter senectutem, ne tale quid suspicemur in Deo. (Ibid.)

Usus appropriationis admodum frequens est in Scripturis & SS. Patribus, secundum varias Dei considerationes. Deus nam- què potes considerari quadruplicitèr, 1. Ut est ens. 2. Ut est unus. 3. Ut inest ei virtus ad operandum. 4. Ut habet habitudi- nem ad suos effectus: & secundum varias istas considerationes fiunt appropriationes a Scripturis & SS. Patribus. (Ibid. art. 8. o.)

Secundum 1. considerationem æternitatis juxta SS. Hilarium & Aug. appropriatur Patri, species Filio, usus Spiritui S. Æternitas enim, in quantum significat non esse principium, simili- tudinem habet cum proprio Patris, qui est principium de non principio. Species, sive pulchritudo habet similitudinem cum proprio Filii. Ad pulchritudinem enim tria concurrunt, integri- tas, proportio, & claritas coloris: Filius autèm habet integrè naturam Patris, est perfecta illius imago, & est lux, & splen- dor intellectus. Usus verò habet similitudinem cum proprio Spi- ritui S. accipiendum usum lato modo, prout comprehendit sub se sui. Usus ergo, quod Pater & Filius se invicem fruuntur, convenit cum proprio Spiritu S. qui est amor. Diligit enim se Pater, & Filius Spiritus S. ut dicitur est (Ibid.)

Secundum quod Deus consideratur ut unus, appropriatur ab Aug. l. 1. de Doctr. Christiana cap. 5. unitas Patri, æqualitas Filio, concordia seu connexio Spiritui S.: quæ tria important unitatem, sed differenter. Nam unitas absolutè dicitur, non præsupponens aliquid aliud, & sic appropriatur Patri, qui non supponit aliquam personam, cum sit principium de non princi- pio. Æqualitas importat unitatem cum respectu ad alterum; nam æquale est, quod habet unam quantitatem cum altero, & idè æqualitas appropriatur Filio, qui est principium de princi- pio. Connexio autèm importat unitatem aliorum duorum; undè appropriatur Spiritui S. in quantum est a duobus. (Ibid.)

Secundum 3. considerationem, qua in Deo sufficiens vir- tus consideratur ad causandum, appropriatur potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui S. Et hæc appropriatio fit, & secundum rationem similitudinis, si consideret, quod in di- vinis personis est, & secundum rationem dissimilitudinis, si con- sideret, quod in creaturis est, ne quid tale suspicemur in di- vinis personis. Nam potentia habet rationem principii, undè habet similitudinem cum Patre cœlesti, qui est principium totius divinitatis: deficit autèm in Patre terreno propter senectutem

tem. Sapientia similitudinem habet cum Filio cœlesti, in quan- tum est Verbum, quod nihil est aliud, quam conceptio sapien- tiæ: deficit autem interdum filio terreno propter temporis pauci- tatem. Bonitas, cum sit ratio, & obiectum amoris habet similitu- dinem cum Spiritu divino, qui est amor; sed repugnantiam vi- detur habere ad spiritum terrenum, secundum quod importat violentiam quandam. Consequentèr operationes, in quibus præci- pue relict bonitas, ut est creatio mundi, appropriantur Patri. Operationes, in quibus maxime manifestatur sapientia, ut est reparatio, & redemptio mundi, appropriantur Filio. Et operationes, in quibus singularitèr relict bonitas, ut est colla- tio gratiarum, Spiritui S. (Ibid.)

Secundum 4. considerationem, prout consideratur Deus in habitu- dine ad suos effectus, sumitur illa appropriatio Ex quo, per quem, & in quo. Hæc enim præpositio Ex importat habitu- dinem quandam cause efficientis, quæ competit Deo ratione suæ potentie; undè appropriatur Patri, sicut potentia. Hæc verò præpositio Per, quatenus designat habitudinem formæ, per quam agens agit, sicut dicitur, quod artifex agit per suam artem, appropriatur Filio, sicut sapientia & ars. Hæc tandem præpositio In denotat habitudinem continentis; Deus verò res continet, non solum secundum earum similitudines, se- cundum quam continentiam appropriatur Filio, seu etiam quatenus Deus sua bonitate res conservat, & gubernat ad finem convenientem adducendo; & hoc modo ly In quo appropriatur Spiritui S. sicut bonitas. Variæ adhuc appropriationes præ- ter recensitas reperiuntur in Scripturis & Patribus.

ARTICULUS II.

De comparatione Personarum ad relationes, & ad Actus notionales. D. Th. q. 40. & 41.

ACTOR art. 2. hujus q. 40. probat, personas constitui, & distingui per relationes. Hoc nos præstissimus Dissert. 4. art. 2. require.

Queritur 1. Utrum in divinis relatio sit idem, quod perso- na? R. Affirmativè. (Q. 40. art. 1. o. & ad 1.)

In Deo sunt quatuor relationes reales, ut dixi Dissert. 3. art. 2. scilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & passiva. Tres, scilicet Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva, dicuntur proprietates personales, quia iis constituuntur personæ. Quarta, scilicet Spiratio activa, dicitur proprietates, quia non in omni- bus personis convenit; sed non personalis, quia non constituit personam. Hæc autem quatuor relationes, tam personales, quam non personales, sunt idem cum persona, sed diverso modo.

Ad cuius (Ibid. ad 1.) intelligentiam considerandum est, quod propter divinam simplicitatem sit in divinis duplex realis identitas eorum, quæ differunt in rebus creatis: quia, cum di- vina simplicitas excludit compositionem formæ & materiæ, se- quitur quod in divinis idem est abstractum, & concretum, ut Deitas & Deus. Quia verò divina simplicitas excludit composi- tionem subjecti & accidentis; sequitur quod, quicquid attribui- tur Deo, est ejus essentia, & propter hoc sapientia, & virtus idem sunt in Deo, quia ambo sunt in divina essentia. Et secun- dum hæc duplicem rationem identitatis, proprietates, seu relatio in divinis est idem cum persona. Nam proprietates personales sunt idem cum personis ea ratione, quæ abstractum est idem cum concreto: sunt enim ipse personæ subsistentes, ut Pater- nitas est ipse Pater, & Filiatio Filius, & Processio Spiritus S. Proprietates autèm non personales sunt idem cum personis se- cundum aliam rationem identitatis, quæ ratione illud, quod attribuitur Deo, est ejus essentia: sic igitur communis Spiratio activa est idem cum persona Patris, & cum persona Filii, non quod sit una persona per se subsistens, sed sicut una essentia est in duabus personis, ita & una proprietates. Ex quo habes, quod relatio paternitatis, & relatio spirationis activæ in Patre sint idem secundum rem cum sola distinctione virtuali. Simili- tèr relatio filiationis, & relatio spirationis activæ in Filio. Pro quo vide Dissert. 3. art. 2. Concl. 1.

Queritur 2. Utrum actiones notionales præintelliguntur proprietatibus, seu relationibus? Dixi: præintelliguntur, id est, secundum modum nostrum intelligendi; in re enim omnia sunt simul in Deo. Actus notionales sunt ipse origines, tam activæ, quam passivæ, scilicet generatio activa & passiva, spi- ratio activa & passiva. His notatis,

R. Origines passivæ sumptè simpliciter præcedunt secun- dum modum nostrum intelligendi relationes seu proprietates personarum procedentium; quia origo passivè significata signi- ficatur ut via ad personam, & ad ejus proprietates: sic genera- tio passiva seu nativitas in nostro intellectu præcedit filiationem, seu esse Filium, & similiter spiratio passiva prius intelligitur, quam esse Spiritus procedens. (Ibid. art. 4. o.)

Origines, seu actus notionales activè sumpti præcedunt